



**R**ollo apud Cimbroſ Germaniæ populos dux  
 rexitit. Hic ingenti corporis & animi robore  
 præditus, cū ſuis popularibus et Nordmannis Ger  
 maniam inferiorem inuaſit, atq; Louaniꝝ trans Mo  
 ſam caſtra fecit. poſtea ulterius progreſſus Lutetiã  
 Pariſiorum obſedit. Id cum Carolus Craſſus Cæſar  
 intellexiſſet, properè Italiam reliquit, atq; in Gallia  
 cõtra Danos caſtra locauit. Cum autem huius gen  
 tis ferociam conſideraret, fœdus cum ea inijt, atq;  
 iſtis urbes trans Sequanam, quæ inobedientes ei  
 erãt, tradidit. Itaq; Rollo eam regionem ingreſſus  
 Rothomagum occupat, et uicina loca ſibi ſubijcit.  
 poſtea cum cõiugibus & liberis, ibi perpetuò man

ſuri, ſedes occupant, atq; Nordmanniam uocant, anno 886. Hunc Rollonem  
 anno ab eo uiceſimo ſexto Carolus Poſthumus ad religionẽ Chriſtianam cū  
 eius popularibus perduxit, atq; Rubertum uocauit. Itaq; factum, ut Germa  
 ni Septentrionales Galliæ partem occuparint, atque Rollone duce Chriſtia  
 nam religionem ſuſceperint. In eo loco etiamnum permanent, atque in

Gallorum & Francorum nomen abiẽre. Auent. li  
 bro quarto.